



5.6

DFG



5.67,34

Wc  
534

# Votivæ Acclamations,

Quibus

Illustrissimo Celsissimoq; Principi ac Domino,

Dn. JOHANNI  
ERNESTO, DUCI  
SAXONIÆ, LAND-  
GRAVIO THURINGIÆ,

MARCHIONI MISNIÆ, DOMINO  
suo clementissimo,

Illustris SALANA

Delatum unanimi consensu Rectoratus Academicus  
bonorem novum, subiectissimè gra-  
tulatur.


Augusti Mensis die 10. Anno 1608.



J E N Æ

Excusæ Typis T O B I Æ S T E I N M A N N I.





## I.



*Actenus in nostris spectacula tri-  
stia mortis,  
Cum planctuſ lacrymis, visa  
fuere locis:  
Cum duo Saxonie, celso de stemmate fratres,  
Ante dies meritos ( heu! ) cecidere Duces.  
Nunc aliqua tandem dolor hic ex parte levatur:  
Clarus post nubes ut solet esse dies.  
Nempe Ducum soboles, referens utrumq; paren-  
tem,*

*Vultu, par patriis dotibus esse studet.  
Exemplo probat hoc, Jena te teste, JOHANNES  
ERNESTUS, studiis gnaviter invigilans.  
Hic Rectoratus capit ( en ) modò promptus ha-  
benas:*

*Salanæq; reget deinde Lycéa Scholæ.  
Conspicitur Princeps, decoratus epomide rubra:  
Tale spei magnæ quæ decet ingenium.  
Nunc edit specimen, qualis, quantusq; futurus  
His olim terris sit, populisq; suis.*

*A 2 Magni-*

Magnifico hunc ergò Rectori grator honorem:  
 Faustum & felicem quem velit esse Deus.  
 Principium felix, medium felicius opto:  
 Prosperet accessum sorte abitumq; Deus.  
 Incolumis valeat, viduae spes magna Parentis:  
 Et superet Pylii secula longa senis.  
 Hoc Rectore, Scholæ leges, artesq; vigebunt:  
 Hoc Duce, florebunt curia, templa, domus.  
 Stabit & immotum, docuit velut ore Lutherus  
 Divino, diuum relligionis opus.  
 Sic Patris, & Nati, sanctæq; perenniter Aurae,  
 Crescit & augescet gloria, laus, & honor.

Ambrosius Reudenius. D.

II.

מֵאָר אַפְתָּה כָּבֵד וְחַסֵּט מִכְלָה - בֵּית אֲבוֹרִים  
 בְּעִיר יִנְחָזֶה מִזְרָחָן וְחַנְןָן - אַרְנְסְטוֹס  
 וְהַפְּרָבָה בְּמַרְשָׁנָנוּ מַאֲלָקָן גְּרוֹלָן  
 קָצִין הַוְּקָם אֲשֶׁר דָרְשָׂת אַלְ-אַלְ-שְׁרִי  
 אֱלֹהִים אַפְקָה אַחִיךְ וְרַכְבָּה  
 פָּמָר וְשָׁגַיָּה אַתְ-חַיָּה אֶרְזָ-כְּבָרָה  
 וְשָׁמָר בְּמַאָר

2.

I' ερὸν αῖμα διοτρεφέων, ἀερίδεικετε λαῶν  
 Ορχαμ' ΙΩΑΝΝΗΣ ΕΡΝΑΙΣΤΟΣ, τῷ γάθηνη  
 Θεωσεσίνι κατέχευε χάριν κεφαλῆ τε νόστε:  
 Ενθαρχολῆς ἄρχων Φαιδρὸς Διαπομόγατόστε,

Σωζε

Σῶζε Θεὸς σοφίης ἐρλαμπέτη γεμοῦντα,  
Ἡδε καστρήτως, καὶ μητέρα, πᾶσαν ἀργεῖν.

3.

**S**temmate & ingenio Dux maximus, inde Lycei  
Salani, IAN-ERNESTVS, lux, Induperator  
Estq; salutaturq; DEI moderamine summi:  
Iste RECTOREM, Matrem, Fratresq; domumq;  
Saxonicam regat & tegat, alveolosq; secundet,  
Comprecor, ac vigeat salvo Respublica cursu.

Humilimæ subiectionis ac debite  
gratitudinis ergo fac.

Petrus Piscator D.

III.

**E**xere jam tandem nitidum caput incluta Pallas,  
Et sacra Salaidum plaudet caterva manu.  
Exue nunc pullam, nec atrâ in ueste senesce  
Funera mœsta Ducum tot tremebunda gemens.  
Felici auspicio Dux inclitus ecce IOHANNES.  
ERNESTVS patriam jam regit ipse Scholam.  
Propatribus sic Iova dedit longa agmina natum,  
Certatim quos jam prenderet lora juvat.  
Eminet hos inter Rector velut alter Apollo  
Magnificus juvenis castra novena regens:  
Ante annos animumq; gerit vultumq; parentis,  
Hoc spes Salanae fit rediviva Scholæ.  
Deseret hanc nunquam, manet alta mente reposum.  
Hoc juvenile decus uestis Epomidijs.  
Tu modò Rectorem prælustri sanguine cretum  
Suspice sacra cohors obsequiosa Duci.

A 3

Huius

Huius ad exemplum vestros componite mores,  
 Bellerophontei quos rigat humor equi.  
 Dux erit ad templum; dux ad Parnassia tempe  
 Nolle sequi talem crimenenorme Ducem.  
 Hoc prohibeto nefas summi moderator Olympi,  
 Rectorig, novo porrige C H R I S T E manum.  
 Mollis in obsequium fiat studiosa juventus,  
 Sicq, Ducem tantum sponte sequetur. Amen.  
 M. Abraham Lange, aul. Sax. Vinariensis  
 Ecclesiastes F.

## IV.

**S**cilicet à teneris annis assuescere multum est,  
 Naturamq, suā perficit usus ope.  
 Cernis ut oblique ramos, densisq, frutescat  
 Sentibus, & pereat fructibus arbor inops.  
 Quam nullā purgat solers in parte Priapus,  
 Villicus & nusquam consitione novat.  
 Nunquid equus, nisi sit longo mansuetior usu,  
 Terribili gaudet vi, sonituq, tuba?  
 Num canis in gelidas timidus propellitur undas,  
 Cui nullas usus præbuit ante vias?  
 Antibifalco leves volucres venabitur auceps,  
 Si nullum monstret crebrior usus iter?  
 Num merulae fringilla modos canet emula dulces,  
 Ni teneat junctas usus & una domus?  
 Sic homo, qui volucrum vincit genus atq, ferarum,  
 Quæ tenet, hæc usu cuncta frequente tenet.  
 Non artis præcepta, latens neg, mentis acumen  
 Artifices fecit, qui facit usus adest.  
 Est opus, estq, labor populos compescere freno  
 Multi iugos, sed & hoc dirigit usus opus.

Proderit

Proderit ergò Duces teneros præesse regendis  
 Rebus, quò fiant nomine rég, Duces.  
 Discere quæ juvenis nescit, vir nesciet uti,  
 Qui non condus erat, nec mihi promus erit.  
 Hoc animo fasces tibi I A N E E R N E S T E, secundo  
 Omine, committit nostra Salana suos.  
 Hoc cape nunc animo fasces & epomida rubram,  
 Augurioq, bono tradita sceptragere.  
 Fata tibi servant populos urbesq, regendas,  
 Salva manent cunctis, quæ pia fata volunt.  
 Vocibus interea nostris assuefce vocari  
 Rector, & imperio spes superato piùm.  
 Scilicet à teneris, mihi crede, assuescere multum est,  
 Primitias messem sanctificare decet.  
 Sed te Rectorem Rector regat aetheris alti,  
 Dirigat & gressus pro bonitate tuos.

Johannes Major, Ecclesiæ Jenensis Pastor  
 & Superintendens.

V.

I Llustris salve R E C T O R generose Lycei:  
 Gloria Pegasei præsidiumq, chori.  
 Fortunante Deo cæptisq, favente secundis  
 Inclyta Salaidum sceptra regnda capis.  
 Scilicet hoc tua D V X spondet maturior ætas,  
 Quæte, jam tractes ut graviora, monet:  
 Hebdomas annorum postquam nunc altera fluxit,  
 Et nova principio prosperiore venit.  
 Hoc nostri tempus spondet solemne Lycei,  
 Quod sperare dein nos meliora jubet:  
 Hebdomas annorum postquam nunc septima fluxit,  
 Et nova principio prosperiore venit.

Tu

Turege CHRISTE Ducem; rege tu bone CHRISTE,  
Lyceum:

CHRISTE tuere Ducem, CHRISTE tuere  
Scholam,

Inclita perpetuum vireat fac RVT A: sub illa  
PAX, Themis, Ars, Pietas floreat usq; precor.

Debitæ subjectionis ergò gratulabundus  
scripsi Zacharias Brendel Med. D.  
Prof. publ.

VI.

**N**unc nunc suavi Salaides deæ  
Vobis resultent pectora gaudio:

Nunc isto in anno Jubilæo  
Jubila voce sonate leta.

Rerum Parenti Maximo & Optimo  
Nunc mente grata plaudite: dexterâ  
Cunctis, tot annis, qui potenti  
Vos bonus eruit è periclis.

Hic grata vobis otiallargiter  
Largitur inter tot mala plurima:

Quem pressus orbis Christianus,  
Fata gemit patriæ cruenta.

Hujus benigno munere, fertulum  
Rutæ virentis nobile floruit,

Floretq; salvum: reproborum  
Tetrica vi prohibens venena,

Sub melle dulci saepe latentia

Verbis sacra. Nempe DEO duce,

Tantum

Tantum hæc avito purioris  
 Religionis amore flagrat!  
*Eja ergo Jovæ facta potentia,*  
*Et gratiæ expendite: laudibus*  
*Implete cœlum: & læta in isto*  
*Jubila fundite Jubilæo.*

Nunc in Lycéi regna vocat nova,  
*Rutam virentem, Saxonidum Duce,*  
*Vultu JOHANNEM ERNESTUM alacri,*  
*Terrigenum Pater atq; Rector.*  
 Nunc nunc boatu barbaries minax  
*Cessabit: at pax aurea mutuâ*  
*Fulgebit osculatione*  
*Justitiam excipiens amicam.*  
*Astræa nunc de sede poli arduâ*  
*Terras reviset: nunc Academia,*  
*Rutæ sub umbellâ salubri*  
*Crescit, & in columnis vigebit.*  
*Ergo sorores Salaides, sacras*  
*Lauru implicate Pieriâ comas,*  
*Jucunda plausu nunc in isto*  
*Jubila tollite Jubilæo.*

Dux magne sed tu, Palladij tibi  
*Quæ sceptræ consensu unanimi Patrum,*

B

Nunc

Nunc deferuntur sacriora,  
 Suscipe fronte sereniore.  
 En! blandicellis vocibus ut deæ  
 Appellant te Salaides, chori  
 Et quidquid est dulcis sororum:  
 En! Academia ut ipsa fasces  
 Gratatur has ex pectoris intimâ  
 Tibi medullâ. Sis bonus ô tuo  
 Felixq; regno! Palladisq;  
 Aonidumq; bonus tueri  
 Adsuesce leges juraq;. ô inclyte  
 Dux euge! nunc & sic Patriæ Pater  
 Adsuesce dici sanctus. ecquid  
 Pulcrius hac vocatione!  
 Te & ova servet Trinus: & otia  
 Tranquilla nobis sospite te; tuo  
 Et fata regno largiatur  
 Mitia, plenaq; faustitatum.  
 Sic vestra nostris Salaides deæ  
 Nunc vota votis jungite: plaudite  
 Paean dulcem: & leta in isto  
 Psallite jubila Jubilæo.

Elias Reusnerus L. Histor. & Poët. Prof.  
 Publ, devoti obsequii ergò F.

Cum

## VII.

**C**VM Salana sui Princeps tibi magne Lycei  
 Sceptra daret, facilis cœptra tenenda manu:  
 Turba Novenarum risit latata Sororum:  
 Increpuit doctam comitus Apollo lyram,  
 Sed Bellona gemit, sed Mars fremit horridus armis,  
 Et potis est duras vix cohibere manus.  
 Mercuriusq; citis nectens talaria plantis  
 Fervet, ut in calido fœtilis olla foco.  
 Vulcanus, rapidos qui claudus obambulat ignes,  
 Aestuat, & flamas non capit ipse suas.  
 Proh superi, tantumne feret scabiosus honoris  
 Cætus ab hoc tanto Principe, miles ait?  
 Proh superi, tantumne feret mendicus honoris  
 Cætus ab hoc tanto Principe, Dives ait?  
 Proh superi, tantumne feret furiosus honoris  
 Cætus ab hoc tanto Principe, vulgus ait?  
 At quicunq; boni, quos non rapit improbus ardor,  
 Mens bona quo falli nescia dicit, eunt:  
 Pierioq; gregit tantos gratantur honores,  
 Et Duce non dignum munus id esse negant.  
 Principibus toto nihil est augustius orbe,  
 Numinis hos certas constat obire vices.  
 Nec minus humani generis lectissima pars est,  
 Dedita litterulis casta juventa bonis,  
 Quam singit pietas, sapientia docta figurat,  
 Format & eloquio suada diserta suo.  
 Inclita cui fasces defert Respublica, Conso  
 Si facit, ut sit opus, res male tuta D E O.  
 Et quisquam sociare vetat (proculite maligni)  
 Egregiosq; Duces, egregiasq; Scholas?

Aurum gemma decet, gemmam decet annulus auri,  
 Litterulae Proceres, litterulasq; Duces.  
 Vive diu, Rectorq; lubens assuefcē vocari,  
 O Princeps patriæ portus & auratua.  
 Iam moderare Scholam, quondam moderaberis urbes,  
 Et meritis prisca exuperabis avos.  
 Fallor? an antiquos referent properanter honores  
 In VVitikindeam fata secunda domum.

M. Wolfgangus Heider debitæ subjectio-  
nis ergo.

### VIII.

#### PARODIA HORATIANA ex IV.

Carm. Oda XII.

**J**Am Pacis comites, quæ populum regunt,  
 Impellunt studijs dedita pectora,  
 Iam nec bella vigent, nec juvenes strepunt  
 Nocturnā face squalidi.  
 Nec cæsam sobolem flebiliter gemit  
 Infelix pater, aut conqueritur domus  
 Aeternum opprobrium lex Academica  
 Quod nati ulta libidines.  
 Dicunt in placidis ædibus incluti  
 Musarum cythara carmina liberi,  
 Delectantq; Deum, cui pietas, fides,  
 Concordesq; animi placent.  
 Adduxere sitim tempora Pallados,  
 Sed dotare bonis ingenium artibus  
 Si gestis, juvenum Nobilium decus  
 Phœbi mella merebere.  
 Ex Phœbi Studium prolicet cadis,  
 Quod nunc Cimmerijs in tenebris cubans  
 Spes donare novas suevit, amaraq;  
 Curarum eluere efficax.

*Ad*

Ad quæ si properas gaudia, cum tua  
 Velox laude veni. Te meditatur, en!  
 Immunem sapidis tingere poculis  
 Phœbus dives in artibus.

Sic IOV AE faveant Numinæ cœlitus,  
 Sic & mens faveat provida Principis:  
 Quo R E C T O R E ferit sidera vertice  
 IENAE flos juvenum decens.

Vcrum pone moras & vitium fuga,  
 Virtutisq; memor, dum licet, abditæ,  
 Admisse vigilem consilijs diem.  
 Dulce est sic sapere in loco.

M. Thomas Sagittarius Prof. publ.

### IX.

R ECTORIS titulos offert Celsissime Princeps  
 Salana, & tradit splendida sceptra tibi.  
 Rem facit egregiam præclara Academia, tanto  
 Quod rerum credit sceptra gerenda Duci.  
 Et merito tantas nunc IAN ERNEST E capessis  
 Fasces, Saxonica lausq; decusq; domus.  
 Sit tibi protector, Rector cœliq; soliq;  
 Sanctatum regimen dirigat omne TRIAS.

Christophorus Neumaier U. J. D.

### X.

JOANNES ERNESTUS,  
 Per avæcunuañmō  
 SI TENES RES, ANNUO.

N I Deus annuerit nostris feliciter ausis,  
 Rebus in humanis cuncta sinistra cadunt:

B 3

sin

Sin Deus annuerit nostris feliciter ausis,  
 Rebus in humanis cuncta secunda cadunt.  
 Magna (quis esse neget?) preciosi gloria sceptri,  
 Imperij magnum, non sine laude, decus.  
 Nitamen Aethereus facilem spiraverit auram  
 Spiritus, imperij non bene cedet opus:  
 Turgida sin ventis implerit vela secundis  
 Non male Sisyphium suscipietur onus.  
 O præstans animi Iuvenis, Dux Inclite, nostræ  
 Maxima Ienensis gloria, spesq; Scholæ.  
 Te gravium veneranda patrum consulta, benignis  
 Magnifici votis munus obire petunt.  
 At tum munus erit felix, si Rector Olympi  
 Sublevet imperium, Dux Generose, tuum.  
 SI RES ergo TENES, ô IAN-ERNESTE Lycei,  
 Ut par est, cœptis ANNVO, Numen ait.

M. Immanuel Hasius Aumensis, Ecclesiæ Jenensis Diaconus.

## XI.

**P**Laudite plausibili & votivo carmine Musæ,  
 Barbite festivo plaudite Hamadryades!  
 Naiades & Dryades concurrite, plaudite, plausus  
 ingeminet tellus quicquid & æthra tenet.  
 Florida florentis Salana turba pœana  
 concinat, ex animo vota precesq; ferat.  
 Frondiferis domibus vibrissent pennipotentes:  
 & quicquid vitreas undiq; tranat aquas  
 exultet; campi, frondes, cum vitibus ulmi  
 exiliant, roseus Phœbus, & astra polo.

*Insurgant*

Insurgant lati flammantia mœnia mundi  
 latitiâ, tristes este procul lacrimæ.  
 Iam nova se pandit facies, non nubibus æthra  
 ulterius tecta est, sed micat igne jubar.  
 Haec tenus infelix est liberiore periclo  
 infestata, suis Iena subacta malis :  
 Omnia luctus erant, atq; omnia tristis imago,  
 excelsos mors dum sustulit atra viros.  
 Ingenuis cedat Musis Tritonia virgo,  
 & Bellona potens insidijsg tumens.

## 2.

**H**oc Deus, hoc tempus, voluitq; hoc consona celsæ  
 Vox aulæ, fratrumq; pari conamine votum,  
 felici auspicio multum clarescere tandem  
 Salanam, atq; Scholas inter caput undiq; doctas  
 efferre ; impletum est, adventu sospite Fratrum  
 Saxoniæq; Ducum quis hæc celsissima seris  
 florescat seclis stirps, semideumq; propago.  
 Publica res gaude, gaude res priva, Camæna  
 clangite, Musæo luctamine germina Rutæ  
 Saxonice gaudent, quis dia scientia curæ.  
 Sæpè humiles nimium res maxima concipit ortus :  
 gaudia nostra suum capiunt ita & incrementum :  
 Mixtus erat quondam clamor vocesq; precantium,  
 ad properant Ienam, Iovâ comitante, IOANNES  
 ERNESTVS, lateri Comes & FRIDERICVS,  
 amore

Musarum : augustos, ô ter vel plusve beatos  
 quis spectare licet duo sidera clara, duosq;  
 insignes pietate Duces atq; indole verè  
 Heroâ : magnum est, quondam memorare juvabit.

Addere

Addere vota decet nullus fucata sonore :  
Plurima vivendo vitalia vincite secula.

3.

**J**A NE ERNESTE Deo sacrate, Musis  
Heroum decus, & parentis una  
excelsi effigies, domusq; stella  
illustris Salicæq; flos amœnus  
Vallis, dexter ades canende versu.

Magnis eripe te tuis Camœnis  
& sceptrum cape publicè decenti  
Ritu, concilio patrum precante.  
Lucis sic recipit prioris auram,  
vernam JENA, nitentq; puriores  
soles, Principe temperante sceptro  
nostræ regifico Scholæ palæstram.  
Augusto tibi sceptra clara mensæ  
augustè data grator ore, corde,  
Phœbo sic calamum regente parvum,  
parcis si tenuare magna plectris  
concessum. Sine sanguinis cruento  
adspicere rege : morta turbulentio  
non exerceat hunc chorum tumultu.  
JANE ERNESTE diu vige, tuoq;  
excelso pariter valente fratre.

M. Theophilus Melman. T.

CORPO

## XII.

CORPORA terrigenum mirè commendat ocellus,  
 Hisq; dat eximia commoditate frui.  
 Nam capitis nitida sublimitè arce locatus  
 Imperit at reliquis partibus, iisq; præst.  
 Quid? quod læticia Sol cung; dat aureus orbi.  
 Exiguis oculus corporibus det idem?  
 Occulat ille facem, vita distædet, & bunc si  
 Senseris effectum, vivere pænè piget.  
 Hisce quid innuitur? dicam. cui frena Lycei  
 Tradita sunt, oculi fertur obire vicem.  
 Si radiet, pulcris comptus virtutibus, omne  
 Haud dubiè pulcram, quod moderatur, erit.  
 Sin miser ægrefcat vitijs, ægrefcit & illud  
 Quod regit; unde seges provenit ampla mali.  
 Virtutum statio cum te, Dux magne, coronet,  
 Excubiasq; tuas Ius agat ante fores:  
 Salaisin fueris homini quod ocellus, & orbi  
 Sol, neg; fuscarit teve gregem ve nefas.  
 Debitæ & humilimæ subjectionis ergo scrib.

Theodorus Sitzman Thuringus.

## XIII.

OIE NA innumeris ter felicissima donis!  
 Vatibus o cunctis digna perennè cani!  
 Quis tibi, quis Divum tam latolumine ridet?  
 Quæ te tam nivea sidera sorte beant?  
 Ut quod habet decoris Thuringia cung; superbi,  
 Omne tuo teneas sola beat a sinu.  
 Non ego in his, ut te celebrem. tamen haud queo, quin &  
 Ipse meis dicam te quoq; versiculis.  
 Sed mihi non tam urbis splendor, non mænia, turres,  
 Tecta, amplaque oculos divitiae feriunt.

Illa alij laudent : ego mactos laude perenni,  
 Vna quibus clares , suspicio usq; viros.  
 Te nunc suspicio Princeps, qui sceptra Lycae  
 IAN-ERNESTE geris: Te FRIDÉRICE simul  
 Suspicio: Vos suspiciunt par nobile Fratrum,  
 Doctores vestræ , quin juvenesq; Scholæ.  
 Vivite consortes, virtutem extendite factis,  
 Sic vos suspiciet progeniesq; nova.

Anshelmus Arnoldus Misnicus.

XIV.

A N A G R A M M A

Ex ipso Academiæ Genensis nomine desumptum.

A C A D E M I A G E N E N S I S.

E N S I G N E S ! A M I C A D E A .

**H**ac-Salana tenuis satis exagitata sinistro  
 Incluta fatorum turbine nostra fuit.  
 Pectoris unde sui suspiria fudit ab imo  
 Hac-Salana tenuis, tristis & illa fuit,  
 Salaniq; sepulta fuit quasi fama Lycéi,  
 Postquam turbinibus pressa tot illa diu.  
 Laus, sed summa Deo: rediit Sors faustior illi,  
 Clarior huic pulsâ nube reducta dics.  
 Erigit illa caput, reparata resurgit ovatq;  
 Extolli famæ rursus honore novæ.  
 Eius enim curam sceptrum imperijq; togati  
 Dux genere illustris Dux facieq; gerit,  
 Princeps SAXONIAE effigies rediviva Parentis,  
 Stella IAN-ERNESTVS gentis amica sua.  
 Faustus hic ordo, suo qvem sic dignantur honore  
 Ex Regum illustri stirpe Ducum vè sati.

Princi-

Principis imperium pariter, ceu fidus Achates,  
 Sublevat, officij grandeq; gestat onus  
 Pæonia VARVS celeberrimus arte Sacerdos,  
 Multimoda mentis cognitione valens.  
 Salanæ redit inde Scholæ decus, atq; redibit  
 Auctior illustri GENA vigore suo.  
 Hanc igitur venerare Scholam, Studiola juventus,  
 Hanc cole, dum celebri rursus honore micat.  
 EN SIGNE S Salana cohors! Academia nostra  
 Est DEA AMICA; Dei claret ab hospitio.  
 Est DEA AMICA; micat magno fulgore Themista,  
 Cuius amicitiam sedulitate coles.  
 Est DEA AMICA; patet Medicina salubriter ægris,  
 Dulce refrigerium, qvivolet, inde petat.  
 Est DEA AMICA; Sophōn florent insigniter artes:  
 Hanc, velut, ergo coles, turba Novena, Deam.  
 Hanc cole: nam cunctis fæcundo germine & usu  
 Exhibet orbicolis munera summa Dei.  
 Sic per amata Deo facies, qui hac ocia nobis  
 Fecit, Saxonico grata simulq; Duci:  
 Hospitio cuius Musæ bonitate fruuntur  
 Salanæ, & tutâ sub requiete docent.  
 Arboris ergò velut veneratur quilibet umbram:  
 Sic feret & nostro debita quisq; Duci.

DONA DEI IN CLARIIS NASCUNTUR AMICA LYCEIS:  
 CONVENIT HIS NOMEN NUMINIS INDE SACRI.

Debitæ gratitudinis ergò F.

Johannes Ermichius Olbersl. Thuring.  
 Celsitud. ejus in Salana Alumnus.

## X V.

**L**aetantur quoniam proceres, gratantur & optant,  
 Vnanimis, sceptris prospera fata novis:  
 Plectra movent digitis quoniam pars maxima, nec non  
     voce sacrum fundunt mellifluente melos,  
 Mox ego concipiens placitos sub pectore motus,  
     comprecor illustri talia vota Duci:  
 Munifici bonitas de I A N - E R N E S T E tenova  
     ambiat, & varijs ditet alatq[ue] bonis,  
 Religionis amore cingat, regia virtus,  
     Iudicij ut superes dexteritate viros,  
 Hactibi ut eveniant, precor, illustrissime Princeps,  
     Et tibi sic redeat saepius illa dies.

Subiectissimæ gratulationis ergo F.

Johannes Mylius, Annemontanus.

## F I N I S.



116 334  
 CONVENTUS NOVÆ IUNIENSIS IMPR. SACRT.  
 JONATHAN CARYLLUS NAVITIA INTER AMICAS LYCOS:  
 DEGELINUS LIBRARIUS

N.C.

ULB Halle  
004 968 522

3



107



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-41604-p0024-9

DFG

8167,34

Votiva  
Illustrissimo C  
Dn. J  
ERN E  
SAXO  
GRAVI  
MARCHI

*Delatum unani  
bonorem*

August

# Excusæ Typis



Wc  
534